









17269.  
DISSERTATIONEM MORALEM  
DE

1717,6.  
18  
PROEDRIA,

QUAM GERMANI COMMUNISSIME

Den Rang/

APPELLANT,

DIVINA FAVENTE GRATIA  
IN INCLUTA AD PREGELAM ACADEMIA  
PRÆSIDE

M. IOANNE IACOBO  
ROHDE,

REG. ALUMN. ET COMM. CONVICT. INSP. SEC.

PUBLICÆ TUEBITUR

AUTOR

IOANNES MONETA,

ROSENBERG. PRUSS. PHIL. STUD.

HORIS LOCOQUE SOLITIS

A. R. S. M. DCCXVII. DIE XVI. JUNII.

---

REGIO MONTI, LITERIS REUSNERIANIS.

275.



DEO,  
PATRONIS,  
PARENTI,  
PATRUO,  
PRÆCEPTORIBUS  
ET  
AMICIS.

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS  
IN SUI STUDIORUMQUE SUORUM  
ULTERIOREM COMMENDATIONEM,  
DEVOTO ANIMO NUNCUPAT  
ET SACRAS ESSE JUBET  
HUMILLIMUS  
ATQVE DEVINCTISSIMUS

AUTOR.





❧)❧

---

## SYNOPSIS.

**P**rooemium. §. I. De loco honoratiori apud Hebraeos. §. II. Apud Graecos. §. III. Apud Numidas, Persas & Aegyptios. §. IV. Apud Romanos. §. V. Apud hodiernos Turcos, veteres Gallos & Germanos. §. VI. Transitus ad Thesin. §. VII. Vocis Proëdria Etymologia. §. VIII. Homonymia. §. IX. Synonymia & descriptio. §. X. Divisio. §. XI. XII. XIII. Pro stabilienda thesirationes quasdam continent. §. XIV. XV. XVI. Objectiones adversariorum diluunt. §. XVII. XVIII. XIX. Cautelas quasdam circa Proëdriam necessariò observandas, tradunt. §. XX. De Proëdria inter patrem & filium, quorum hic illo superior est. §. XXI. De Proëdria beatorum in futura vita. §. XXII. Totius operis conclusio.

---

## PROOEMIUM.



Uicunque demum eris, BENEVOLE LECTOR, paucis te volo, ut nempe hanc, quam vides dissertationem, æqui boniq; consulas, & si fortè quædam occurrent, quæ ad palatum tuum non erunt, quoniam omnibus placere impossibile est, in bonam partem interpreteris, modesteque examines, illius CICERONIS effati memor: *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere.* Hæc mihi, CANDIDE LECTOR, tecum! Brevem verò dissertationem hîc exhibeo, de Proëdria in genere & moraliter conscriptam; nam si politicè & specialiter eam pertractare nunc animus esset, latissimus disserendi campus pateret; enimverò, quoniam brevitatis maxime delectat, & instituti ratio non postulat,

A

ut



ut fusè multumque de hoc argumento differam, prætereaque multi insignis eruditionis & magni nominis VIRI (1) circa *Prœdriam politicè* consideratam, cum summa diligentia occupati jam fuerunt: idem denuo facere, omnino in-  
inutile duxi. Hic itaque, ceu in propatulo est, *Prœdriam Politicam* mittens, talia annotabo, quæ ad vitam moresque hominum in conversationibus rectè & ritè formandos, faciunt, atque in præsentiarum consideranda veniunt. His ergo præmonitis, DEO T. O. M. Auspice, felix faustumque ipsius dissertationis initium facere volupe est.

- (1) De *Prœdria Politica*, seu ut aliàs vocatur, *Supremarum Potestatum*, egit *Christophorus HARTKNOCHIUS* in dissertatione de variis mediis controversias circa *Prœdriam Supremarum Potestatum, Imperatorum, Regum, Principum & Rerump.* occurrentes, evitandi & removendi. Regiomonti 1675. Addantur *Jacobi HOWELLS* dissertatio de *Præcedentia Regum*, Londini 1664. Illustr. *Johannis KLEINII* dissertatio de *Prærogativis Principum S. R. I.* Rostorbi 1698. *Jac. Andr. CRUSII* tractatus de *Præminentia, Sessione, Præcedentia & universo jure Prœdrias*, Bremæ 1666. *BESOLDI* *Spicilegia Politico-Juridica* de *Sessionis Prærogativa & Præcedentia* pag. 119. seqq. *Henningii RENNEMANNI* *Jurispr. Rom. Germ. Univ. in Disp.* XXI. pag. 193. seqq. *Job. Fridr. RHEITII* dissert. de *Prærogativa inter Familias Illustres*, Francof. ad Viadrum 1686. Ill. *STRYKII* *Dissert.* 20. Vol. diss. 4. de *jure præsentiaæ circa negotia imperii hujusque* *Dissert.* c. 5. de *jure præsentiaæ quoad præcedentiam.* Vide præterea *Balth. Sigismund. à Stosch / von dem Præcedenz oder Vorder-Recht aller Potentaten und Republiken in Europa*, Jenæ 1678. *GERDESII* dissertationem de *Jure Præcedentiaæ*, Gryphisw. 1674. *SPEIDELII* *Speculum Observationum Juridico-Politico-Historicarum* sub voce *Præcedentia* pag. 1003. seqq. num. 83. *Gottfried Stühven der Ritter Academie in Lignitz Prof.* *Publ. Polit. Hist. & Eloqv. Europæisches Hoff-Ceremoniel,*  
wort



worinnen Nachricht gegeben wird/ was vor eine Beschaffenheit es habemit der Prærogativ und dem daraus fließenden Ceremoniel. Leipzig 1715. De Proëdria Imperatorum, Legatorum, Senatorum & Sacerdotum apud Romanos differuit *Camilus SYLVESTRI*, Comes Italus, in notis doctissimis ad Juvenalisatque Persii Poëmata conjunctim Italico sermone edita, Patav. 1711. in quarto pag. 169. referuntque hoc Autores des Neuen Bücher-Saals in der 18. Veffnung pag. 419. Evolvatur quoque *Zacharie ZWANZIGII* Theatrum Præcedentiæ, cujus pars prior agit vom Illustren Rang. Streit / altera von der Illustren Rang-Ordnung / qui autor ex omnibus reliquis accuratè hoc argumentum, ut dicitur, pertractavit. Alios brevitatis studio jam sileo, ut *FREINSHEIMIUM*, *SPRENGERUM*, *Jacobum de WALDES*, *Nicolaum MARTINI*, *Bernhardum de BRAGA*, *Christianum GASTELS*, *ZIRITZIUM*, *OTTO NEM* aliosque, qui in *SPEIDELII* Sylloge Quæstionum Jurid. Politicarum pag. 1010. sub voce Præcedentiæ, & in *Arnoldi REIGERI* Thesaurio Juris Tom. 2. pag. 735. sub voce Præcedentiæ, item in *Martini LIPENII* Bibliotheca Philosophica, Francofurti ad Mœnum 1682 edita pag. 1238. sub voce Præcedentiæ leguntur. De aliis vero casibus, ad Proëdriam spectantibus, informari cupiens, videat tractatum Illustrium Jur. Tom. XVIII. fol. 21. *Christ. LANFRANCHINI* tractatum: An Doctor militi sit præferendus, & fol. 23. *Signor. de HOMODEIS* tractatum de eadem materia. Nobilis an Doctor debeat præferri, vid. *BESOLDI* dissertatio de Præcedentiæ & Sessionis Prærogativa cap. 2. §. 16. pag. 143. De Prærogativa Clericorum præ Laicis differuit fama & meritis magnopere suspiciendus *Borussia* nostræ Theologus *B. Bernardus à SANDÉN* in peculiari dissertatione, Regiomonti 1685. edita. Et complures alii.

## §. I.

Majores dignioresque, quibus tam ratione ætatis, quàm officii, quod gerunt, prærogativa quædam debetur,

A 2

coete-



cæteris imparibus jure meritoque anteponendos esse, ec-  
 quis sana ratione præditus, rerumque humanarum adeo  
 ignarus est, ut hoc non per se intelligat? Hanc legem  
 enim natura omnibus gentibus à prima mundi origine jam  
 præscripsit, unde THUCYDIDES; (2) *Neque id ipsum heri  
 aut hodie fieri incipit, sed semper accidit, ut inferior cedat potenti-  
 ori.* Illud itaque certo certius est, primis temporibus jam  
 in usu fuisse, ut major minori præferretur; modus autem,  
 quo anteponi solebat, varius pro varia gente existebat. In  
 eo quidem omnes gentes conveniebant, quòd locum  
 quendam dignioribus proprium, seligebant, qui ob id lo-  
 cus honoratior & superior dicebatur; in illo tamen dissen-  
 tiebant, quòd non omnes unum eundemque locum pro su-  
 periori habebant. Primò ergo ad primam HEBRÆO-  
 RUM scil. gentem, (juxta communem opinionem,) me confero, visurus, quemnam illi locum pro honoratio-  
 ri inter se habuerint? ibi verò Historici observant: Apud  
 Hebræos honoratiorem sedem ad *Parietem* fuisse, sicuti  
 Autor est PANCIROLLUS, (3) adducens in hujus rei  
 testimonium locum illum S. Scripturæ, (4) ubi legitur:  
*Sauli Regis cathedram fuisse juxta parietem, è conspectu ve-  
 rò sedem Jonathæ, & postea aliorum se subsequentium;* quan-  
 quam etiam ex multis adhuc aliis locis non incongrue col-  
 ligas, dextram quoque apud Hebræos honoratiorem fuisse,  
 eò quòd dextra validior, nobilior & præstantior præsumi-  
 tur, ipso ARISTOTELE teste. (5) Sequioribus tamen  
 temporibus etiam accidit, ut medius locus supremus fuerit,  
 sicut videre est ex DANIELE, (6) ad quem dicebatur:  
*jam sede in medio nostrum & renuncia nobis,* quod etiam ex  
 aliis adhuc locis evinci possit.

(2) THU-



- (2) THUCYDIDES lib. 1. de bello Peloponnesiaco. (3) PANCY-  
 ROLLUS lib. 1. Rerum memorabil. tit. de cibi capiendi modo  
 veteribus usurpato. (4) SAMUELIS lib. 1. cap. 20. v. 25.  
 (5) ARISTOTELES lib. 4. de part. animal. cap. 8. & lib. de  
 animal. incessu cap. 4. (6) DANIEL cap. 13. v. 50.

## S. II.

Jam progredior ad GRÆCOS, qui æque non tam in-  
 humani & barbari fuere, ut probum cum flagitioso eodem  
 loco collocaverint, perinde judicantes, ubinam sedeat;  
 quin contrarium potius exinde elucet, quod *locum primum*  
 pro summo & maxime honorabili existimarent. Sic enim  
 in HOMERO (7) de Rege Argivorum AGAMEMNONE  
 legitur: cum aliquando lautissimum magnis belli Du-  
 cibus Græcorumque Optimatibus convivium instrueret,  
 NESTORI *primum locum* dedit, huic adjunxit IDOME-  
 NÆUM, postea AJACES duos locavit, dein consistere  
 jussit DIOMEDEM TYDÆI filium, & tandem ULYS-  
 SES *seximum ultimumque locum* occupavit. *Dnus. à Stofsch*  
 (8) in hac versatur opinione, AGAMEMNONEM virtu-  
 tum meritorumque respectum habuisse, ita enim ait:  
 Agamemnon gibt dem Nestor den ersten Sitz / in Anse-  
 hung seines Alters und klugen Verstandes: die Mittel-  
 Sitze dem Idomenæus, Ajax und Diomed, zu Ehren ih-  
 rer Tapfferkeit: den sechsten oder letzten dem Ulysses, um  
 seiner Klugheit willen. Da denn zu mercken / daß beyde  
 äußerste Stellen / weil solche gleichsam die Ziel-Mähler  
 sind / für ehrlischer gehalten worden als die mittlern.  
 Quod verò primus locus honoratissimus fuerit, exinde satis  
 liquet, quia NESTOR omnium senex & prudentissimus,  
 prætereaque maximus inter Magnates, cum occupavit.  
 Nihilò tamen minùs aliquando *medium etiam locum* pro ho-



noratissimo agnoverunt, quemadmodum VIRGILIUS de ÆNEA testatur, inquires: (9)

*aulæis jam se Regina superbis  
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.*

Ergo ÆNEAS in fummo loco fuit constitutus, quoniam medius honestissimus erat, sicut FARNABIUS ad hunc locum bene monuit. Et alibi (10) idem Poeta inquit:

*Ille è concilio multis cum millibus ibat,  
Ad tumulum magna medius comitante caterva.*

Atque idem haud obscure innuit, dicens: (11)

*quo se cum multis millibus heros  
Confessu medium tulit. &c.*

Ex quibus testimoniis, ut opinor, apertissimè fluit, recteque concluditur, medium locum tum temporis supremum extitisse.

- (7) Videatur HOMERI Iliad. lib. 2. à vers. 25---30. (8) Balhaf. à Stofsch im Präcedenz oder Vorder-Recht pag. 877. (9) VIRGILII lib. 1. Æneid. vers. 701. 702. (10) Idem lib. 5. Æneid. vers. 75. 76. (11) idem loc. cit. vers. 289. 290.

### §. III.

Neque GRÆCIS tantum atque HEBRÆIS, sed aliis quoque gentibus eadem opinio inleđit, *medium* scilicet *locum* esse maximè præ reliquis supremum. Sic SALLUSTIUS de NUMIDIS refert in bello, quod descripsit, Jugurthino: (12) *Sed Hiempsal, qui minimus ex illis erat, natura ferox etiam ante ignobilitatem Jugurthæ, quia materno genere impar erat, despicens, dextram adherbalem adsedit; ne medius, ex tribus, quod est apud NUMIDAS honori ducitur, Jugurthæ foret.* Non inconsideratè SALLUSTIUS hęc particulam *ET* apposuit, hoc ipso indigitans, non solum apud NUMIDAS



MIDAS, sed alias quoque gentes, si quis in medio loco sederit, honori duci. Huc quoque PERSÆ pertinent, penes quos etiam *locus medius* honoratissimus appellabatur, seu ambularent, seu federent. Sic enim de CYRO ait XENOPHON: *eum solitum fuisse medium inter amicos honoratos discumbere.* (13) Neque ÆGYPTIOS prætereo, horum vero mentionem dum injicit *Alexander ab ALEXANDRO*: (14) *ad dextram*, inquit, *locari, præcipuè apud ÆGYPTIOS magnus honos est habitus, in medio verò maximus.*

- (12) SALLUSTIUS in bello Jugurthino ex editione Lugdunensi de Anno 1677. cum notis Variorum. pag. m. 190 num. ibid. 11.  
 (13) CRUSIUS in tractatu de universo jure Proëdrias pag. 27, n. 18. (14) *Alexander ab ALEXANDRO* Genialium Dierum lib. 2. cap. 19. in medio.

## §. IV.

ROMANAM nunc GENTEM, totius ferè orbis suo ævo dominam, ad hæc tot tantisque encomiis ab autoribus toties totiesque ornatam, nomino. Hæc, si Historicorum monumenta perlustramus, justitiæ nunquam non maxime ac strenuè defendit & sectata est, & ita quidem, ut vel locum alicui debitum violare, aut denegare summum nefas duxerit. Benè ac sapienter ergo ROMANI instituerunt, ut, qui ob vitam ingenuam & res benè gestas, maxima apud eos laude conspicuus esset, *medium locum* occuparet. Pro more verò suo duplicem inter se Proëdriam agnoscebant, vel sedebant, vel accumbebant, sicuti unicuique ex Historia Romana constat, qui primis saltem labris, ut dicitur, eam delibavit. Accumbere soliti erant in Cœnaculis suis, quæ à numero lectorum, in quibus accumbebant, vel biclinia, vel triclinia dicebantur. In tali ergo



ergo biclinio, ubi duo tantum lecti erant, maximus illorum *dextrum* occupavit; in triclinio verò honoratissimo viro *medius lectus*, tanquam dignitati ejus maxime conveniens, assignabatur. (15) Unde non inconcinnè colligas, *Romanos & dextrum & medium locum* pro rerum conditione honoratiorem habuisse, eumque illis tribuisse, quibus vel natalium splendor, vel etiam res insigniter actæ proëdria vindicarunt. De Proëdria in sedendo idem observandum. Attamen non ex paucis testimoniis firmiter concluditur, *medium etiam locum Romanis* supremum fuisse; unde hæc apud SENECAM (16) indignatio: *non in medio me loco sed imo collocavit*. Accedit huic sententiæ Poëtarum ille Dux VIRGILIUS, de LATINO Rege ita scribens: (17)

*ille intra recta vocari*

*Imperat, & solio medius confedit arvo.*

Atque alibi de eodem: (18)

*sedet in mediis Rex maximus avo.*

Huic OVIDIUM adde: (19)

*Et medius Juvenum non indignantibus ipsis  
ibat: & interior, si comes unus erat.*

Hæc testimonia pro confirmando *medio loco* honoratissimo apud Romanos jam sufficere non dubito; multa enim alia nunc recensere inutile foret, quia brevis esse volo. Neq; etiam est, ut quis objiciat, *sinistram* à Romanis pro dignissima habitam fuisse, eò quòd inde feliciora auspicia capiebant, & propterea inter sacrificandum semper aves à sinistra provolantes observabant. Verùm certum quidem est, hunc ritum in sacrificiis obtinuisse, & *sinistram* non pro infima habitam fuisse, aut non ratione *honoris & loci*, sed *solius melioris auspicii* causa, hinc apud CICERONEM legitur: (20)

*Ful-*



*Fulmen sinistrum ob auspicium, optimum habitum fuisse ad omnes res, quod etiam de avibus observandum.* Hæc de Romanis modò prolata sufficiant, cui verò alia adhuc tam de more Romanorum accumbendi & sedendi, quàm de mensis, lectis atque sellis eorum legere volupe est, *alios Autores, (21)* in quibus hac de re ex professo, consulat.

(15) Videatur *Job. SARTORII*, Profess. Athenæi Gedanensis, Præceptoris mei quondam fidelissimi & Fautoris honoratissimi, *Plinius Germanicus*, in notis pag. 664. & 665. sub voce *Es-Saale*. Lipsiæ 1712. editus. (16) *SENECA* in peculiari libro: in sapientem non cadere injuriam Cap. 10. mox ab initio. (17) *VIRGILIUS* lib. 7. *Æneid.* vers. 168. 169. (18) Idem lib. 11. *Æneid.* v. 237. (19) *OVIDIUS* lib. 5. *Fastorum* vers. 34. (20) *CICERO* in lib. 2. de *Divinat.* in Tom IV. num. 74. pag. m. 395. (21) Vid. *Job. Albert. FABRICII* *Bibliographia antiquaria* pag. 565. 566. 567. *Hamburgi & Lipsiæ* 1713. edita. item *STUCKIUS* in *antiquitatibus suis convivalibus* pag. 253. 254. 255. *Tiguri* 1582. Legi etiam potest *Clariss. PRÆSIDIS* dissertatio, de lectis Veterum lucubratoris. *Regiomonti* 1714. habita.

## §. V.

Ex antecedentibus paragraphis jam satis, ut conjicio, innouit, quisnam apud antiquissimas gentes locus honoratior fuerit? scilicet aliæ dextrum, aliæ medium superiorem agnoverunt; non tamen desunt aliæ, quæ etiam *sinistrum* pro digniori censent: hoc autem latè patentis *TURCIÆ incolæ* faciunt, quibus *sinistra* honoratior ob hanc rationem, quod eam corporis partem gladius ornet, sicut testatur *BUS-BECQUIUS* referente *CRUSIO*. (22) De antiquis *GALLIS & GERMANIS* *Dnus. à Stosch* (23) ita: *Die alte Teutschen und Frankosen/ wenn ihrer viel bey einander mahlzeiteten / saßen in einem Kreiße; der Allertapfferste aber*

B



aber unter ihnen recht in der Mitten. Illis enim cum Romanis & Grecis commune erat, ut honoratissimos suæ gentis medio loco collocarent. Idem etiam de hisce populis testatur CLUVERUS: (24) *Convivia plures ad cenam si conveniant, in orbem consistunt, in medio autem præstantissimi sedes est, seu totius cætus Principis, huic proximè assidet Dominus convivii, & utrinque deinceps hospites pro splendore dignitatis, quæ excellent.* Alia circa locum honoratiorem amicæ brevitatis gratia jam non repeto, cum vel passim in Historicorum annalibus occurrunt, vel etiam à CRUSIO (25) fusiùs adducta & examinata sunt.

(22) CRUSIUS in tract. cit. cap. 4. p. 28. num. 25. ubi Turcorum mentio fit. Huic adde *Pauli Frid. Sperlings* Petrum scrupulosum part. 2. pag. 449. (23) à *Stosch* im *Vorcedens oder Vorder-Recht* pag. 88 r. (24) CLUVERUS lib. 1. Antiquit. German. cap. 17. (25) CRUSIUS tractat. cit. cap. 4.

## §. VI.

Firmum itaq; est, & antiquis temporibus fuisse, & nostro adhuc sæculo locum quendam honoratiorem ac cæteris præstantiorem dari, eum quoq; occupatum esse, & quotidie adhuc occupari, itidem constat; de eo saltem plus vice simplici inter eruditos concertatum est: *an deceat talem locum superiorem affectare, vel etiam occupatum adversus aliorum injuriam & insolentiam defendere?* In hac ergo controversia ingenii mei vires, quanquam exiguas, exercere paululum decrevi, & ad hoc ipsum non solum me materiae amplitudo, verum etiam variæ eruditorum de ea sententia opiniones traxere; quare, ut feliciorem, conatus mei, progressum fortiantur, unum adhuc annotare ipsa materiae ratio sradet, nimirum: perinde mihi esse, qualemnam prædriam hic quis



quis intelligat, num vel in sedendo, num vel incedendo, aut vehendo, sive quis eam putet proëdriam, quando loco movemur, sive quando in loco constituti sumus, aut locum superiorem à dextra, aut in medio, aut à sinistra sumimus, eò quòd de hoc ipso mihi nulla sit concertatio, cardo enim rei in eo saltem versabitur: quòd liceat proëdriam sibi debitam supra alios inferiores affectare, & occupatam defendere. Hujus thesis veritatem in præsentiarum pro virili adstruere decrevi, atque sic pro ea stabilienda rationes quasdam priusquam ipsum vocis Proëdria significatum explicaverò, adducam.

§. VII.

Ne verò & ipsa proëdria vox nos lateat, morem ab eruditis approbatum receptumque sequens, è re esse putò, si Proëdrias originem & significatum altiùs paulò repetierò. GRÆCI certè sunt, quibus hæc vox natales suos debet, illis enim derivatur à *προεδρα*, quæ est prima sedes seu subsellium, & hæc à præpositione *προ* & *εδρα* sella descendit, unde tandem *προεδρα*, quæ vi vocis nihil aliud innuit, quam ipsam præsentiam vel loci prerogativam. (26) Hinc etiam derivatur Græcis usitatum illud *προεδρεω*, præfideo, & dein *προεδρος*, quod vocabulum eum ferit, qui in prima sede sedet, & præses appellatur. (27) Quanquam aliquando etiam proëdria prodrias, & proëdrus prodri nomine veniant. (28) Aliàs etiam Græcis *προεδρα* dicitur *προεδρα* & *προεδρα*.

(26) Vid. SCAPULÆ Lexicon sub vocabulo *εδρα*, sella, & hæc sub voce *εζουαι*, sedeo. (27) idem loco eodem. (28) vid. Josephi LAURENTII Amalthea Onomastica sub voce *Prodria*. Luca prodit. 1640.



§. VIII. Ita quidem se habet vocis Etymologia, non autem unam semper significationem sustinet, sumitur enim I. vel *Physicè* pro ipsa *prima sede* seu *primosubsellio*, quod alteri præfertur ac dignius est; vel *moraliter* pro illa *dignitate*, quæ hanc sedem seu locum honoratiorem ac præstantiorem efficit, sicuti quotidiana experientia hoc satis superque testatur. Deinde II. prædria ubi *moraliter* consideratur, sumitur vel *latè & generaliter* pro prærogativa non solum in sedendo, sed & stando, ambulando, aliisque actionibus, quibus vel loco movemur, vel in loco constituti sumus; vel etiam *strictè & specialiter*, pro prærogativa solum in sedendo, quod ex Etymologia vocis, quæ à sella derivatur, commodè colligitur. Ego in præsentiarum, missa prædria *Physicè & specialiter* considerata, modò *moralem* in tantum, in quantum licebit, *generaliter* pertractabo.

## §. IX.

Atque hoc est, quod circa prædrias Etymologiam & Homonymiam dicendum occurrit; attamen ejusdem synonymia paucis adhuc consideranda venit: alia enim adhuc sunt vocabula, quibus *prædria* exprimi sœvit. Audit enim vel *presidentia*, (29) vel *præeminentia*, dein *prærogativa*, *præcedentia*, *primatus*, vel etiam *principatus*, quæ vox mihi omnium maximè *Latina* videtur, eò quòd apud Auctorem optimæ notæ occurrit, & in hoc sensu usurpatur. Sic enim apud NEPOTEM: (30) *cum aliquo de principatu contendere*, quod germanicè significaret: *mit einem umb den Rang streiten*; & alibi: (31) *principatum alicui non concedere, einem nicht den Rang lassen*. Germanus diceret.

Hinc



Hinc etiam porro apud *Latinos locus superior, locus principse* appellatur: GERMANI *communissimè proëdriam* per *Den s. die Rang* vertunt, quæ vox derivatur à Gallico illo vocabulo *Rang*, quod notat ordinem & dispositionem aliquam, hinc *le Rang* idem est, quod ordine collocatum, quia *Ranger* disponere, & justo loco ac ordine aliquid collocare, notat. Quanquam vero vox & qualitas proëdriæ ex modò allatis minimè obscura esse queat; non uno tamen modo describi solet. Ego, quoniam de *proëdria* saltem *in genere* ago, descriptionem maximè vulgarem afferam, ubi generaliter ita describitur: *quòd sit loci prerogativa, quam aliquis ea potissimum de causa appetit & conservare studet, ut cæteris magnificam & amplam de se opinionem ingeneret confirmetque*; id quod non omni probabilitate destituitur, quia hic plerumque proëdriæ finis esse solet, ut homines alios, in magnam nostrum admirationem & existimationem rapiamus, & dum honoratior superiorque locus nobis contigit, magis inclarescere ac alios præcellere videamur.

(29) Vid. SCAPULÆ Lexicon sub voce *ἐξουσία* sedeo. (30) CORNEPOS in ARISTIDE. Cap. 1. & THEMISTOCLE cap. 6. (31) Idem in DIONE. cap. 6.

§. X.

Hæc est communis proëdriæ descriptio, quæ in *vi- ra civili* & inter *homines privatos* obtinet; nam Definitio prerogativæ *Supremarum Potestatum* alia est, eamque RHETIUS suppeditat. (32) Et inde etiam fit, ut proëdria habito ad personas respectu dividatur: est enim proëdria *Politica*, quæ aliàs dicitur proëdria seu prerogativa *Supremarum Potestatum*, de qua non differo, quia toties totiesque jam à multis Clarissimis doctissimisque VIRIS (33)



sub examen vocata ; alia est *privatorum* inter se , qui in una civitate degunt , & legibus à superiori potestate præscriptis obedire , tenentur , talem potestatem , quali Familiæ Illustres præditæ sunt , non habentes. (34) De proëdria ergo *inter privatos* nunc agam , atque sic in eo solummodò occupatus ero , ut ex principiis *Ethicis* sanæque rationi conformibus , thesis meæ antè propositæ veritatem deducam.

(32) *Joh. Fridr. RHETIUS* in dissertatione de prærogativa inter Familias Illustres , Francofurti ad Viadrum 1686. edita , §. 2. proëdriam Supremarum Potestatum definit : *quòd sit Jus , quo Viri Principes sibi debita , modo convenienti exigunt , ne suorum videantur incuriosi.* (33) Vide notas ad proëcium hujus dissertationis , & autores ibi allegatos ; item *Cass. Henr. HORNII* dissertationem de Jure proëdriæ , Wittebergæ 1709. habitam. (34) Vid. Cornu Copiæ Basileæ 1521. in fol. editum , pag. 1185. lin. 48. ubi privati illi dicuntur , quibus aliquid est ademptum.

### §. XI.

Operæ pretium ergo erit pro stabilienda assertione nostra rationes quasdam in medium proferre. Proëdriam verò appetere quod cum honestate non pugnet , ipsâ virtutis conditio & qualitas testatur ; quoniam hoc ei non adversum est , si quis bonæ de se existimationis studio ductus , proëdriam appetat , eò quòd hæc ; tanquam singularis *honor* , (35) virtutis & vitæ benè actæ præmium existit. Huic sententiæ subscribit *CICERO* , ob divinam ferè eruditionem & prudentiam celebris , persuasissimum habens , honorem virtutis necessarium & certissimum conficiens esse , dum ita scribit : (36) *virtutem necessario gloria sequitur.* Negariequidem nullo modo & à nemine potest ,  
omnem



omnem virtutem propter se ipsam esse eligendam & amandam; attamen & hoc verum est, *spem præmii externi homini primam occasionem esse ad eam amplectendam, (37)* Licebit ergo Proëdriam appetere, quia virtutis præmium, juxta summum sua ætate Philosophum ARISTOTELEM, honor est; accedit & hoc, quod ipsa hominem natura impellit, ut honoris studio trahatur, ita enim rectè inquit nobilis ille & fat celebris Italus nomine GVAZZUS, (38) eo loco ubi ambitionem vitiorum pessimum increpaverat: *cum itaque dixi ambitionem multorum errorum causam esse, id non de iis accipi volui, qui ad præclara facinora & ad honores aspirant, quos omnes naturali instinctu appetimus: cum honor inter bona divina numeretur.* Certe, si honor bonum divinum & juxta ARISTOTELEM (39) honorum externorum maximum audit, nullam rationem obesse video, quæ impediatur, quò minùs honor, tanquam bonum, non sit appetendus; si verò licet hoc, utique & illud concessum, in aliis ampliorem de me opinionem producere, ut gloriosius de me, quam aliis sentiant, hoc verò contingit, si proëdriam mihi debitam appeto & occupo; ergo, si res ad summam redit, sequitur, proëdriam quoque appetere & occupare licere. Neque etiam quis hoc ipso contra legem Dei & conscientiam peccat, sed cum his potiùs, id quod appetit, amicè conspirat, sicut accuratissimè & doctissimè simul hoc demonstravit *Dn. Sperling* / in Petro suo scrupuloso, qui legatur, dignus est. (40) Minimè ergo mihi illi culpandi videntur, qui proëdriam justam tanquam virtutis ac celebrium factorum præmium appetunt, quia hoc ipsum non solùm boni & prudentes viri faciunt, (41) sed ipsa etiam virtutis conditio exigit. Benè ergo CICE-  
RO



RO olim iudicavit: (42) *Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloria, qua quidem detracta iudices, quid est? quod in hoc tam exiguo vite curriculo, tantis nos in laboribus exerceamus.*

(35) Si alicui videretur malè factum, ubi de proëdria sermo, de honore agi, is sciat, proëdriam ab honore differre ut effectum à causa, & proinde hic nullam esse contradictionem, si etiam honoris mentio fiat; nam proëdria & honor tam arcè inter se sunt connexa, ut unum sine altero vix subsistere queat; & quodcumque in rebus in se bonis valet de causa, etiam valebit de effectû; ita etiam quicquid de honore nunc profertur, etiam ad proëdriam quadrat, quoniam nulla sub sole supra alium prærogativa datur, quæ non ab honore dependeat. (36) CICERO lib. 1. qu. Tuscul. T. IV. n. 91. p. m. 185. (37) III. STRYCKIUS in dissert. de civilitate proficua cap. 1. pag. 5. num. 3. (38) *Stephanus* GVAZZUS Italus in tractatu de mutua & civili conversatione lib. 1. pag. 132. (39) ARISTOTELES lib. 4. Ethic. cap. 7. (40) *Paul. Frid. Sperling* in Petro scrupuloso part. 2. pag. 445---449. (41) ARISTOTELES lib. 8. Eth. cap. 9. (42) CICERO in Oratione pro Archia Poëta. Præterea, honorem virtutis præmium esse, docet ARISTOTELES Ethic. lib. 8. cap. 16.

## §. XII.

Si verò contingeret, ut quis ob merita & facinora virtuti conformia assignatum sibi locum superiorem occuparet, alius tamen malè feriatu hunc illi ex invidia dubium reddere aut planè etiam eripere vellet, quæritur: an tum prodrus proëdriam suam salva conscientia & virtute possit defendere? quod ipsum affirmo, negantium sententiam hac ratione diluens: talem scilicet prodrum debitum sibi locum occupare, hocque agendo suum cuique tribuere, dum sua sorte & loco contentus, altiora, quàm  
par



par est, non affectat, & neque majoribus neque inferioribus tunc molestus est. Nam si quis piger ac negligens in hac re sit facile evenire potest, ut bonam de se conceptam opinionem obfuscet, perdat, corrumpat, & totus in maximam infamiam prolabatur, quæ tamen ut validissimum venenum unicuique hominum, cui propria salus curæ cordique, fugienda. Præterea conscientiam suam nullo modo lædit, quia tunc justitiam exercet, quod etiam RHETIUS evincit. (43) Absit quoque ut credamus, eum, qui tunc contra invidum proëdriam suam defendit in suspicionem philavtiæ prolabi. Hanc enim vitiorum omnium pravaramque propektionum venenatum fontem esse, equidem concedo; (44) attamen non omnis philavtia simpliciter est prohibita, (45) sed naturalis & quæ ad sui conservationem tendit, est necessaria. In talibus enim casibus, qui vel vitam, vel bonam famam lædunt, (ad quos etiam proëdriæ neglectio refertur,) homo ob amorem erga se ipsum natura insitum, quem & ipse DEus præcipit, (46) non solum se, sed ea etiam omnia, quæ ad conservandam sui bonam & honorificam existimationem spectant, tueri tenetur. Et hæc est causa, cur tam sæpe jam antiquissimis sæculis variæ lites gravissimæque dissensiones ortæ, quia nemo locum superiorem multo labore, & sudore ac difficilè acquisitum, facile amittere volebat, ut patet ex NEPOTE, (47) ubi HERACLIDES DIONI principatum (proëdriam) non concedens, factionem comparavit, & hoc modo se defendit. Tale etiam de principatu, (proëdria) certamen intercessit inter ATHENIENSES & LACEDÆMONIOS, eodem NEPOTE referente. (48) Hoc etiam sequioribus



bus temporibus contigisse, partim ipsa experientia docet, partim *Dnus. à Stosch* (49) memorat. Attamen credo, ejusmodi prodrum tunc, ubi ad proëdrias defensionem pervenerit, jam tali modo eam plerumque tueri posse, ut alter nullam amplius ob id rixandi materiam nanciscatur; si verò cum captatore verborum & intempestivo calumniatore res est, tunc utique duro nodo durus adhibendus est cuneus. Ille enim memoria hominum indignus esset, & proprii corporis negligens, qui talem honorem, qualis proëdria est, & quæ expresse alter hominis sanguis appellatur, nauci faceret. Rectè hìc sentit sæpe citatus **AUTOR** dicens: (50) *Nichts desto weniger list der über sich selber grausam/ der die Ehre / gleichsam das ander Blut des Menschen/ nicht beobachtet und achtet.*

(43) RHETIUS in Disputationibus suis Juris publici pag. 320. §. 124. adde LESSIUM de justitia & jure lib. 4. cap. 4. (44) Ita Philantiam describit Magnif. D. BUDDEUS in Theol. Moral. Part. 1. cap. 1. Sect. 4. §. 32. vid. quoque *M. Jac. Mich. Webers* dissertationem de Philantia. Regiomonti 1710. (45) Evolvatur denuo *Exc. BUDDEUS* l. c. §. 32. ut & quam huic paragrapho adjecit notam primam. Confer quoque B. M. *Reinhold. Stürmers* dissertationem de laude propria §. 8. Regiomonti 1702. (46) MATTH. cap. 19. v. 19. (47) *Cornelius NEPOS* in *DIONE* cap. 6. (48) Idem in *THEMISTOCLE* Cap. 6. (49) von *Stosch* im *Præcedenz oder Vorderrecht* pag. 4. seqq. (50) Idem eodem loco.

### §. XIII.

Majus adhuc commodum prodrus, eo, quo par est modo, proëdriam suam defendens, sibi polliceri potest, scilicet ingens, quod aliàs incurreret odium, declinabit.  
Adco



Adeo enim corrupta & perversa est hominum natura, ut illud semper postulent, quod vel semel, vel ex civitate tantum concessum. Hinc velim observetur, ne ejusmodi vel inscia vel etiam voluntaria proëdria concessio in consuetudinem degeneret, quæ in hocce casu, omnium ferè consensu, maximum momentum conficit. (51) Nam bona multo sudore parta, semel vero amissa, non facilè, nisi magnis incommodis recuperantur, hinc accidit, ut, si quis proëdriae honorem, tanquam bonorum externorum maximum (52) alteri concedat, non suæ solum & posterorum auctoritati detrahat, verum etiam illum, cui concessit, ante amicum, sicubi ad pristinum rei statum regreditur, maximum inimicum experiatur. Egregiè de hac materia celeberrimus Jctus STRYCKIUS judicat dicendo: (53) *Præcedentiæ, (etiam universæ proëdriae) concessio, multum benevolentie quidem conciliabit, quamdiu conceditur, ubi autem ad priora jura regreditur, ingens proëdrias litigium excitabit, ubi difficulter victoria sperari poterit; ad jura enim semel remissa & renunciata difficilis & nullus planè regressus patet.* H. I. Perpulchrè etiam GALLUS quidam ait: (54) *En le droit de precedence on ne peut rien abbare ny remettre sans perdre tout; quod Latinus ita forsàn proferret: A principatu seu proëdria jam obtenta nequicquam desistere quis potest, nisi omnem unà fidem auctoritatemque velit amittere.* Unusquisque ergo in talibus casibus cautè mercari discat.

- (51) Consuetudinem hinc multum facere docet Aloysius RICCIUS dict. decis. 1446. & coll. decis. 1069. de Consuetudine loci vid. NEAPOL. 4. dignit. sub tit. præcedentia. cap. 19. 20. adde GAILIUM lib. 1. observ. num. ult. item RENNEMANNI Jurispr. Rom. Germ. Univers. disp. 21. pag. 193. 194. (52)



ARISTOTELES lib. 4. Eth. cap. 7. (53) III. STRYCKI-  
 US in dissertatione de civilitate nociva cap. 3. num. 22. (54)  
 Pierre MATTHIEU livr. 1. de l'histoire de France du regn  
 de Henry IV. narrat. 2. num. 7.

## §. XIV.

Ex his igitur rationibus satis liquet, non contra de-  
 corum esse, proëdriam sibi debitam ac justam appetere & de-  
 fendere; attamen possit quis objicere, hoc ipso nos peccare  
 contra voluntatem & legem DEI; qui expressè jubet *proxi-  
 mum sicut nos ipsos diligere*, (55) hoc verò non fieri, cum  
 illi prærogativam denegamus. Sed homo sana ratione præ-  
 ditus & honoris, quantum par est, cupidus, ab alio hoc  
 minimè postulat, quoniam ipsum non fugit, quid pro-  
 edria & ejus concessio in recessu habeant; diligendus  
 equidem est proximus, sed in iis, quæ sine damno nostro  
 à nobis ipsi fieri possunt, nam SENECA ait: (56) *gene-  
 rosi & magnifici animi est juvare & prodesse*. Enim verò in  
 nullo S. Scripturæ loco aut per alios DEUS nobis præcepit,  
 ut proximum juvemus, & ipsi interea damnum patiamur,  
 sed potius dicit, ut proximum diligamus sicut nos, i. e.  
 ad eum modum & tam libenter, quo nos ipsos amare sole-  
 mus. Hoc ut clariùs innotescat, videndum quousque di-  
 lectio proximi hic se extendat, explicat autem hoc egre-  
 giè STRYCKIUS, & hunc locum expendens, ait: (57)  
*Verba Paulina hic nihil aliud intendunt, nisi ut charitatem & be-  
 nignitatem erga proximum quovis modo ita nobis inculcent &  
 suadeant, ne ledatur proximus, & ne ullo damno afficiatur, ne rixæ  
 & lites absque causâ inutiles ipsi moveantur, neque otiosi ejus ca-  
 lamitatum simus spectatores aut dissimulatores, sed eidem data*  
 occa-



*occasione pro posse inserviamus.* Ultra posse enim nemo obligatur. Hoc etiam indicat PAULUS monens, ne cum proximo rixemur, nisi & ipsi perire velimus. (58) Ad hæc plùs vice simplici contingit, ut in aliquibus casibus, (qualis & hic de proëdria est) & nobis & proximo simul satisfieri nequeat, quid tum consilii? & quomodo quis ex hac ambiguitate se expediet? tunc profectò non sequitur alium nobis ipsis præferendum esse, & dilectionem proximi amorì nostro anteponendam; hoc enim nullibi jubetur, quin potius naturæ lex dicitur: quemlibet sibi esse proximum. Et certè, si dicendum quod res est, in ejusmodi casibus, amor nostri, est præferendus dilectioni proximi; (59) aliàs enim non solum ipsa publica salus, sed & nos periclitabimur, quia officium illud, cujus illa proëdria indicium est, & quod à Superioribus demandatum, hoc pacto non rectè riteque administratur. Præterea non omnes promiscuè amore tali digni sunt. ut ipsis statim loco meo cedam, cum aliæ adhuc ipsis gratificandi ac benevolam animum contestandi occasiones prostent. Hæc ergo objectio nihil hìc valebit, quia, ut à capite quæ proposui breviter repetam, non tam latè dilectio proximi se extendit, ut ejus salutem promoveamus, & nos ipsi exinde detrimentum capiamus; deinde quia ordinatus amor à se ipso incipit, & postea in alios diffunditur.

(55) MATTH cap. 19. v. 19. (56) SENECA lib. 3. de benefic. cap. 15. (57) Ill. STRYCKIUS in dissertatione de civilitate nociva cap. 1. num. 25. 26. 27. pag. 14. (58) ad GALAT. cap. 5. v. 14, 15. (59) SCHILTERUS in Manud. Phil. moral. ad Jurispr. cap. 15. §. 15.



do omnia in eo. §. XV.  
 Neque ille MATTHÆI locus obstat, ubi dicitur:  
*Quicumque voluerit inter vos magnus fieri, esto vester minister:  
 & qui voluerit, inter vos primus esse, sit vester servus.* (60)  
 Hic enim videndum, in quo sensu illud vocabulum *mi-*  
*nister* seu *servus* accipiatur: nam quando aliis servire jube-  
 mur, hoc non ita rigidè & strictè sumendum, quasi nullo  
 inter nos discrimine aut ordine observato aliorum servi  
 propriè sic dicti esse debeamus; sed hoc innuitur, ut aliis  
 quocumque modo afflictis auxilium ferre, eos ab aduersi-  
 tatibus sponte liberare, salutemque eorum promovere  
 studeamus, erga illos neque ambitiosos aut superbos nos  
 geramus, sed unicuique humanitate & affabilitate obviam  
 eamus. Propterea enim Viri vel graves ætate, vel qui cla-  
 ri sunt nominis inter homines non solum debita reverentia,  
 sed etiam haud exiguo amore, ab omnibus, quibus innotu-  
 ere, afficiuntur. Et si nulla inter homines graduum  
 distinctio daretur, & omnes conditione fortunaque sibi  
 æquales essent, quis quæso ob nimiam tunc familiarita-  
 tem, alteri leges ferre & salutem publicam promovere vo-  
 lenti, obedientiam præstaret? nonne infinita ob principa-  
 tum dissidia orirentur, (dum unusquisque alio superior  
 esse vellet,) & hoc ipso tota Respublica miserè periret?  
 Benè ergò *Dnus. à Stofsch* monet: (61) *Gott selber ist ein*  
*Stifter aller Ordnung / und ist dem gemeinen Wesen*  
*mercklichen daran gelegen / das ein jeder in seinen Wür-*  
*den gelassen werde.* Certè, si Deus ejusmodi ordinem  
 odio haberet, quomodo de eo dici posset, *das er nicht ein*  
*Gott der Unordnung / sondern des Friedens sey?* (62)

ex



ex confusione enim gravissima dissidia oriuntur. Tantum ergo abest ex his adductis locis, ut sequatur proedriae iustae ambitum à Deo esse prohibitum; potius colligi inde potest, Christum docere, quomodo in tali casu, ubi proedriam nostram conservare studemus, nos gerere debeamus; nimirum ambitionem detestans, humilitatem & pronatè aliis gratificandi studium commendat; in eo enim vera præ aliis prærogativa consistit, ut alios benignè ac affabiliter excipiendo, præveniamus, ob id enim à cæteris magni æstimamur, & honore afficimur, honor enim, juxta communem Philosophorum sententiam (63) est honorantis.

(60) MATTH. 23. v. 26. 27. it. MATTH. 23. v. 11. (61) von Stosch im Præcedens oder Vorder-Necht pag. 4. (62) 1. Cor. 14. v. 33. (63) Steph. GVAZZUS in tractatu de civili & mutua conversatione pag. 230.

## §. XVI.

Similiter judicetur de loco LUCÆ: (64) cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior sit invitatus ab illo: & veniens ille, qui te & illum vocavit, dicat tibi: da huic locum: & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi: amice ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Hic plurimum interest, ut hoc S. Scripturæ dictum ritè explicetur, & ita rectè intelligatur, Christus enim non prohibet occupationem supremi loci simpliciter, sed secundum quid; scilicet vult, ne arrogantes simus, & talem locum nobis importunè assignemus, quo indigni sumus,



sumus, qui etiam officio, cui præpositi sumus, superior existit. Hoc ex ipso textu colligitur, cum enim animadverteret Christus, quomodo illi, qui ad cœnam vocati erant, primos accubitus eligerent, (ex arrogantia & superbia,) dixit eis: ut textus habet. Talem etiam ordinem olim à Veteribus in conviviis servatum fuisse, ne alterius prædria ægrè fieret, testatur exemplum Josephi fratrum: (65) *ubi sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenituram suam & minimus juxta ætatem suam.* Adhæc non video quomodo secum pugnet humilitatem ab omnibus colendam esse, & gradus vel ordines distinctos inter homines dari, quoniam ille perumque alteri præferri solet, qui aliis promptè inservire cupit, eosque auxilio suo pro virili sublevat. Laudantur propterea celeberrimi apud Ethnicos Viri, ut *Valerius PUBLICOLA, MANILIUS, M. Rutilius CENSORINUS, Fabius MAXIMUS, Scipio AFRICANUS, PLATO*, aliiq; , qui licet sapientissimi, admodum tamen humilitati dediti, & sine omni furo ac hypocrisis voluntarii servi fuere. Hos recenset *VAL. MAXIMUS* (66) qui etiam mentionem facit *juvenum* quorundam, (67) *qui ad cœnam invitati diligenter quærebant, quinam ei convivio essent interfuturi; ne senioris cujusdam adventum discubitu præcurrerent.* In hoc ergo *Luca* dicto non justa prædria occupatio; verum injusta & detestanda ambitio prohibetur, ut nullum exinde contra nos, qui æque arrogantiam improbamus, argumentum contrarium elici queat.

(64) *LUCÆ* cap. 14. v. 8. 9. 10. (65) *GENES.* 43. vers. 33.

(66) *Valerius MAXIMUS* lib. 4. cap. 1. (67) *Idem* lib. 2. cap. 1.



## §. XVII.

Satis jam ex antecedentibus tum rationibus, tum sacris ac profanis testimoniis proëdriam occupare & defendere licere, perspicuum esse arbitror: ne verò quis objicere possit, quasi hoc absque ulla limitatione & restrictione fieri velim, cautelas quasdam in medium proferam, ex quibus patebit, ubi & quando proëdria non adèdè rigèdè & strictè sit appetenda & defendenda. Hoc ergo, ab initio circa prærogativam prodrus observet, ut eam 1. *moderate* appetat, ob *finem* scilicet *honestum & justum*. In tali enim negotio semper quasdam circumstantias attendere debemus, ejusmodi nempe quæ nobis ad id & locum & bonam occasionem ministrant, ostenduntque. Præterea 2. *talem honorem* ambiat, *quo dignus* est, & 3. qui *cum officio ejus convenit*; deinde 4. *non a quocunque*, sed à quibus oportet, nec 5. *ubique & semper*, sed 6. *quo loco & tempore* decet. Certè si quis has circumstantias bene pensitaverit, non facilè ambitiosi nomen reportabit, & iis annumerabitur, qui *portas ingrediendo, & mensæ accumbendo, alios prævenire properant: ac malè eos habent, si quispiam alius ineptam hanc ipsorum occupet præminentiam.* (68) Attamen dolendum nonnullos dari, qui sine habita ratione & loci & temporis (quamvis se illo, quem appetunt, honore indignos esse sciunt,) omnes nihilominus honores, & ab omnibus promiscuè contendunt; sed vereor ne quadret in illos, quod VIR quidam CLARISSIMUS de ejusmodi hominibus scribit dicens: (69) *Manchmahlen wird ihnen ein Rang zugegeben / und denn müssen sich die / so unten an gehen / den Trost nehmen / den Jupiter einmahls den Böcken*

D

cken



cken ertheilete / da die Ziegen auch einen Bart gekriegt hätten :

*Sinite, inquit, illos gloria vana frui,  
Et usurpare vestri ornatum muneris,  
Pares dum non sint vestra fortitudinis.*

Porro scribit: Manchmallen nehmen sie sich den unangemachten Rang selber / und wenns man ihnen nicht wehren kan / darff man sich nur einbilden / daß die Mahler allen vornehmen Heiligen eine Null mit Strahlen an den Kopff setzen / die eben darinn / weil sie über dem Kopff siehet / ein Schein genennet wird. Summo ergo jure illi culpandi veniunt, qui talem proëdriam affectant, qua indigni sunt: proinde (70) *si inferior temerè se intrudat in locum majoris, majorem honorem, quàm ei debetur, assumendo seu usurpando, debet suo honore privari, & à loco proprio expelli, ulteriusque post alios in opprobrium poni.* En turpissimæ ambitionis, quam ipse DEus odit, pœnam: ejusmodi fuffuris homines habeant sibi. Intereà uti jam dictum est, id probè semper observandum, ut cum proëdriam nostram contra malevolum defendere conamur, id fiat *modestè* & talibus etiam verbis, quæ neque conscientiam lædant, neque honestis auribus indigna atque molesta, sed comitate & suavitate circumlita sint. Eleganter hic sentit GALLUS quidam, (71) ita scribens: *Le Rang deü plutoi etre maintenu doucement & par courtoisie, que par arrogance, & de haute luite. Car l'honneur & l'amour sont deux choses si sublimes, & si primes, qu'elles ne peuvent etre commandees, ny abtennüs bien à point de force; quod ita fortè Latinè exprimeretur:*



meretur : *Principatum* (proëdriam,) *modestè potius comiterque, quam magna cum contentione & arrogantia sustinere, fas est. Singularis enim, hæcque honoris & amoris est ratio, ut vi eosdem obtinere velextorquere non possis.* Pergit IDEM: *Toutes fois comme l'amour est nécessaire au monde, aussi est l'honneur & le Rang, autrement & ne sert que confusion parmi nous; mais il faut gagner par mérite, & maintenir, par douceur l'un & l'autre: quod Latine ita forsitan possit verti: Prout amor in vita hominum ut vigeat, est necessè; ita etiam ut alter alteri anteferatur æquum est; utrumque autem virtute obtineamus, utrumque questum jam humanitate servemus.*

(68) *Stephanus GVAZZUS* in tractatu de civili & mutua conversatione pag. 132. (69) *Sunt verba Autoris der Deutschen Act. Erudit. part. 32. pag. 654. & 655. ubi Excell. MENKENII Prof. Lipsienfis celeberrimi Orat. de Charlataneria Eruditorum recenset. Evolvi etiam meretur Clariss. Dni. M. Michaelis LILIENTHALII, Fautoris ac Patroni mei astutissimi, dissertatio de Machiavellismo literario tota (70) Barthol. CHASSANÆUS in Catalogo Gloriæ Mundi part. 1. pag. 104. confid. 39. (71) Pierre MATTHIEU Livr. 1. de l'histoire de France du regn de Henry IV. narrat. 2. p. 41.*

## §. XVIII.

Tantum verò abest ut fastu ambitioneque tumentes hoc observent, quin potius hanc auream quasi regulam semper recitant : (72) *Wer auff sich selbst nicht hält/ auff den halten andere Leute wieder nichts. Man muß sich nicht mit allen Leuten gemein machen. Man muß seinen*



seinen Character in acht nehmen. Es muß gleichwol ein Unterscheid unter den Leuten seyn. Et certè indulgere forsitan hisce hominibus principem ubique locum appetentibus possemus, si minimùm in loco sacro ac religioso essent modesti, & ab honorum vel principatus affectatione alieni; cum verò usque adeo in religiosissima DEOq; dicata æde, cupiditatem proëdriæ nimium indicant, eò detestabilior illorum dicenda est ambitio. Quilibet ergo in laude vivere ac benè conversari cupiens discrimen faciat inter *locum & personas*. Caveat nempe sibi ne in *talibus locis*, quæ *cultui Divino* sunt destinata, lites de proëdria moveat, cum respectu Dei omnes, licet etiam maximi, abjectissimi servi simus; ergo abstinendum à tali prærogativa, quam coram *altari* stolidè quidam appetunt. Immortalem igitur laudem Gloriosissimæ memoriæ PRINCEPS atque REX PRÆSTANTISSIMUS FRIDERICUS I. promeretur, quod ejusmodi coram *altari* de præcedentia lites abrogandas atque intermittendas, peculiari quodam sat nervosè exarato *Edicto* (73) sancivit, hoc ipsum vero, si cuiquam placet, in Regio, quod hîc Regiomonti est, Archivo perlegi ut potest, ita meretur. Huc etiam illi casus referuntur, ubi *opera Charitatis* peragimus, cum e. g. *Baptismis* interfumus, ibi vix licitum esse videtur cum aliis de principatu contendere. Verum equidem est, in *conventibus ac conversationibus* justum unicuique personæ cum ratione dignitatis, tum ratione ætatis aliarumque circumstantiarum locum assignandum esse; sed si aliquando in æde sacra coram altari aut baptisterio contingat, ut alicui vel ex improvîso, vel ex ignorantia justus



justus locus non conferatur, tunc nemo modestus, (nisi arrogans,) locum sibi debitum adeo rigidè defendere & observare debet, ut alios, qui eundem sibi non tribuunt, odio habeat, aut si ei supremus locus non tribuatur, vel eum vi occupet, vel cum indignatione abscedat. Tunc enim non moderatè in ejusmodi locis, cultui Divino destinatis, honores appetit, sed eo ipso rem summa reprehensione dignam agit, quia honestatis limites transgreditur.

(72) Illustr. *Christianus* THOMASIIUS in der *Nusübung der Sit-  
ten-Lehre* pag. 236. num. 25. (73) Illud Edictum Regium  
huc missum est ad VENERABILE CONSISTORIUM  
SAMBIENSE Anno 1701. die 14. Maji. Berolino.

## §. XIX.

Probè etiam quilibet distingvat velim inter *perso-  
nas*. Si enim in tali loco constitutus est, ubi vel hospites  
vel amici adsunt, vel etiam jocis indulgemus, malè feri-  
atus audiret, si alteri, proëdriam suam aliquando occupan-  
ti, non connivere vellet. Hospitibus enim singularis hon-  
or exhiberi debet, ob jus hospitalitatis, hi quoque mi-  
hi nullo modo nocere, & proëdriam justè acquisi-  
tam, eripere nec possunt, nec etiam volunt, quoniam vi-  
sitandi saltem gratia accedere, & illis iterum ex hoc lo-  
co discedendum. Amicis quoque aliquid propter famili-  
aritatem condonandum. Unde benè suo tempore CA-  
TO monuit: (74)

*Vincere cum possis, interdum cede sodali;  
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.*

D 3

Et



Et paulò post ait :

*Litem inferre cave, cum quo tibi gratia juncta est,  
Ira odium generat; concordia nutrit amorem.*

Nam amicorum bona nonnunquam & certo respectu (75) sunt communia, & obsequium amicos, ambitio verò odium parit. Præterea, *que jure familiaritatis, pacis gratia, aut ex liberali concessione & urbanitate tolerantur, neque jus vel possessionem, neque in futurum obligationem aliis pariunt,* ait *Illustr. STRYCKIUS.* (76) Inter jocandum enim perinde est ubi fedetur, & tunc illa SENECAE verba valent: (77) *Minus honorato loco positus irasci cepisti, convivatori, vocatori, ipsi qui tibi præferebatur. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? Honestiorem te aut turpiorem potest facere pulvinus?* Adhæc, quod proëdrix concessio hospitibus facta nobis non præjudicet, etiam CRUSIUS evincit. (78)

(74) D. CATO lib. 1. dist. 34. & 36. (75) Vid. *Excell. Gottl. SCHELGVIGII*, Professoris Athenarum Gedanensis Celebrissimi, Fautoris ac Præceptoris olim mei multis nominibus colendi, Dissertationem de Communione bonorum. Gedani 1715. habitam. (76) *Illustr. STRYCKIUS* in dissertatione de civilitate nociva. cap. 3. num. 23. & num. 24. (77) SENECA lib. 3. de ira. cap. 37. (78) CRUSIUS in tractatu de Præ eminentia pag. 56. cap. 6. num. 16.

§. XX.

Hic quidem dissertationi meæ colophonem imponere possem; attamen juvat adhuc illam quæstionem fat celebrem paucis tantùm attingere, scilicet: *an filius Patre*



ire dignitate superior, etiam proëdriam supra cum habeat? ad hanc autem distinctè respondendum. Nam quatenus est filius, secundùm præceptum Divinum, quod Parentes honorari jubet, patre omninò inferior est; quatenus verò in dignitate & officio publico constitutus, juxta eandem DEI legem, quæ etiam Magistratum honorari præcipit, Parenti anteponendus est. Tunc enim ille *Politicoꝝ* canon valet: *Autoritatem patriam, quæ est in filios, cedere Majestati Reipublicæ in filios fortè devolutæ, & bonum publicum præferendum esse privato.* (79) Egregia de hac re apud antiquos Historicos exempla reperimus, quando LIVIUS (80) FABIORUM Patris & Filii mentionem injicit, & de iis id refert: nempè: cum FABIVS ad Filium Consulem legatus missus esset, atque illi filius honoris gratia obviam prodisset, nec tamen præmisisset lictorem, qui parentem juberet quàm primùm equo descendere, & filio peditem præstò esse, indignatus parens noluit spontè descendere; quod ubi animadvertit Filius FABIVS Junior Consul, jussit proximum lictorem, Patri ut imperaret ad se peditem venire; quod summopere laudavit Pater, & simul paruit edicto Filii: *Non ego, dicens, fili (81) summum imperium tuum contempsit, sed experiri volui, an scires te Consulem esse? Nec ignoro, quid patriæ venerationi debeatur: verum publica instituta privata pietate potiora judico.* Alterum de hac materia exemplum, non minùs notatù, quàm lectione dignum, legitur apud Aulum GELLIUM. (82) Ex quibus satis constat, filios in magna dignitate conspicuos inter *privatos patriet* parentibus nihilominùs esse subjectos; ubi verò ad *loca publica, in quibus filioꝝ dignitas valet*, pervenitur, ibi auto-



autoritas Parentum cedit dignitati filiorum, atque hoc quidem non modò omnium saniorum consensu, sed etiam experientia teste.

(79) Vid. BECMANNI Polit. pag. 449. (80) LIVIUS lib. 24. non procul à fine, ubi de FABIIS agit. (81) V. MAXIMUS lib. 2. cap. 2. (82) Aulus GELLIUS in Noct. Attic. lib. 2. cap. 2.

§. XXI.

Solet adhuc quædam de prædria quæstio moveri : *An beati in futura vita prædriam quandam inter se habituri sint ?* sed quia hæc materia ad Theologiam spectat, ego verò dissertationem Philosophicam conscripsi ; hinc eam Theologis etiam relinquo. Interim tamen illum, qui novi quid de hac materia legere cupit, remitto ad librum, cujus hæc est inscriptio : *Het liefstalgige Aangeziegt der Bisschoppen ofte Geestelyken beschreven door Joseph van der CRAFT Predicant van de Duitse Gemeende te Haerlem.* Impressus est ille tractatus Delphi 1712. in octavo, ubi ejus autor per integrum opus fusiùs & doctè de hac materia agit.

§. XXII.

Hæc sunt, BENEVOLE LECTOR, præcipua animi mei de Proedria sensa, quæ amicè tecum communicare ausus sum. Veniam verò dabis, quam antè jam à Te rogavi, si scil. non omnia arridebunt. Adhæc, dubia, quæ fortè suborientur, ipse Tibi haud gravatim solvas, de me absente non malè sentias, sed si quâ meruerim, mihi hinc abuturo, faveas. Cæterùm omnia fausta apprecatus, Te valere, ac cunctos labores Tuos benè evenire jubeo. Tandem, ne extra oleas vagari videar, hic esto

**TERMINUS.**



NOBILISSIMO ET CLARE DOCTO  
DOMINO RESPONDENTI  
AUCTORI,  
FILIO PATERNÆ ERUDITIONIS  
SINCERITATISQUE ÆMULO,

S. D. P.

PHILIPP. RICHARDUS SCHROEDERUS,

J. U. L. & P. P.

**S**æpe meminisse subit animum meum, ornatissime  
Moneta, mundum velut officinam esse monetari-  
am, ubi ludit cum hominibus cœlestis Sapientia,  
non fecus ac cum argento Monctarius, varias ei  
imagines, & diversa æstimationis signa imprimendo. Ma-  
jestas ipsa, fons omnis honoris dignitatisque in societate  
civili, nisi inditos sibi à Supremo Moderatore potestatis,  
& venerationis characteres haberet, non posset subjectas  
sibi gentes vel amore devincire, vel terrore concutere, ut-  
pote quas natura æquales fecit. Sæpè autem mutari vide-  
as rerum formas perinde ut pretia, ut, quod maximæ fuit  
æstima-



æstimationis, quod summum opinione hominum judicabatur, mox exiguum, & ad imum devolutum conspiciatur: nec tamen desinit blandiri sibi corruptæ mortalitatis Geniis, caducis illis & mox transitoriis fortunæ bonis, de quibus si ritè existimes, profectò pennata sunt, quæ vix ac ne vix quidem tacta avolant. Hinc tot inanes inter superiores æquè ac inferiores de Prærogativa lites, quæ plerumque de exilis duntaxat voculæ sono, aut de faciendo inani gressu, quem communem natura omnibus dedit, ad internecinas usque inimicitias reciprocantur. Ordo omninò habendus in quâvis societate, habenda & prælatio iis, quibus debetur, modo in id incumbere sollicitius homines, ut virtute meritisque mutuo se antecellerent, sine quibus vana est prælationis affectatio, quam tumidi ambitione homines præsumunt, similes pavonibus, qui externo plumarum splendore se ostentantes, illicò demittunt pompam, simulac ad pedum forditiem respexerint. Horum tu cacoëthen perstringendum meritò tibi sumfisti, nobilissime Respondens, dum genuina inculpatæ præcedentiæ, ut ajunt, fundamenta ostendis. Ostendis eo ipsò, quantum industriæ in addiscendis bonis artibus, in primis in agnoscenda mundi vanitate, in quo summa consistit sapientiæ, collocaveris. Perge simili ut fecisti hæctenus alacritate veræ & non simulatæ Philosophiæ studium decurrere, ex quo postquam ad sublimiæ Philosophiæ putam, transferis, sic metam tuo optimiquè Parentis voto consentaneam attinges. Constat laboribus tuis præmium, erisque inter monetas DEO & Patriæ acceptas. Vale, meque amare perge. Dabam Regiom. Pruss. Die 20. Maji A. C. MDCCXVII.

DOCTIS-



DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS HUIUS  
AUTORI,

AMICO SVAVISSIMO;

S. P. D.

M. IO. IAC. ROHDE.

**N**obile, & multorum sermonibus pridem celebratum, & ad placide profluentem *Pregelam* situm hoc studiorum diversorium, unà cum aliis excitatae mentis juvenibus, summa contentione literis vacans, hucusque incoluisti. Cum enim superiore anno in familiaritatem meam venires, & *Venerabilis Pater* in disciplinam meam Te traderet, in bonarum artium cultu animum totum defixisti, atque in Philosophorum scientiis me duce summopere observasti. Novem vero mensium spatio interjecto, ex meo in aliud contubernium Te recipiens, non sane in studio & opere cessasti, quin



quin potius eximios progressus fecisti. Jam cum jussu Optimi adolescentiæ tuæ formatoris, *Parris* nempe *bonorariissimi*, & bene meditato consilio, ad Saxonum Academi-  
as iter comparas, hocce publico diligentia documentato antea edito, protectionem demum inire Tibi, dissertationis Autor doctissime, & recte quidem sapienterque placet. Egregius autem & laude dignus & Tuæ industriæ consentaneus hic est conatus. Dum ergo Cathedram, in qua præstantis ingenii indicia tot semper magnæ spei Juvenes protulere, conscendis, ut *Tuo Marte* elucubratam de *Prædria* commentationem strenue defendas; communem antiquorum gratulandi formulam: **FELICITER** Tibi acclamo. Jam ergo abi *Præstantissime Juvenis*, quo Te virtus, gloria, animusque Tuus ad altiora contendens, vocant. Intuere tot florentissimas amplisque & magnificis domibus repletas urbes, visita virorum ex doctrina nobilium feraces Germanorum Academi-  
as, & *Jenensē* imprimis *Prytaneum*, ausculta ibidem summæ eruditionis Theologos, humaniorumque literarum statores fama & meritis suspiciendos, hisque ad Te erudiendum aptissimis Viris ut familiariter utaris, omnem imposterum operam impende. Sic multis præclarisque artium exquisitarum præfidiis munitus, referes, ut ita loquar, formam nobilissimæ *Monete*, quam vel *Regius mons* vel *Gedanum* vel alia quædam *illustris Civitas* vindicare sibi cupiet. Quod reliquum est, constanter vive ex voto, & me, si placet, absentem cogitatione ac mente complectere. A. Æ. C. clo lo cccvii. die xx. Maji.

Hanc



**H**anc postquam Cathedram DOCTO sub PRÆSIDE scandis,  
Applaudo merito, Care MONETA tibi,  
Nam dum de *Primis*, doctè disquiris, Amice,  
Clarorum *primis*, te sociare doces.

Ast simul ut *prima*que tibi tribuantur honoris,  
Tempore post brevi, mente manaque precor.

In honorem eleganter docti Autoris, amici candidi,  
ex sincero adfectu scribebat,

M. JOHANNES BALTHASAR CHARISIUS,  
S. Ministerii Candidat.

**P**ulpita dum scandis Doctorum, doctè Moneta,  
Ac Orbi Docto, nomina clara sacras:  
Nominis omen habes, si gratum, specto, Camoenis,  
Materiam scripti; Nominis omen habes.

Ut Nummi superant Nummos, sic Mira Moneta!

In summo folio te tua charta locat:

Præripis hæc palmam multis, hinc opto, Moneta

Aurea, post laudes, laurea ferta gerat.

Sic Respondenti Viro Juveni Politissimo, olim in Collegio Dispu-  
tatorio Auditori satis industrio, gratulabundo scripsit calamo

M. ALBERTUS COLUMBUS,  
Con-Rector Scholæ Cathedr.

**P**rimis dum gradibus Musarum pulpita scandis,  
Ipsis de Gradibus verba perita facis.  
Sic quoscunque gradus conscendas, candidus opto,  
Sit gradus ut decori, sis graduique Decus!

Gratulabundus scripsit

M. CHRISTOPHORUS Grube.

**S**teigt der Albernitz in der verderbten Welt;  
Man darff von Tugend nichts, nichts von der Weisheit wissen/  
Es ist ein jeder fast auff hohen Rang beflissen/  
Dass er vor andern nur die Ober-Hand erhält.  
Wie mancher Stumper kan kaum seinen Nahmen schreiben/  
Er möcht mit besserm Zug noch in der Schule bleiben;

Sedoch



Jedoch so schlecht er ist, so wünscht er schon dabey,  
Daß er in Compagnie der Höchsten einer sey.  
Du weißt, mein wehrter Freund, von dieser Thorheit nicht;  
Wenn andre nach dem Rang sich aus dem Athem lauffen/  
Wenn sie vor schweres Geld sich grosse Tittel kauffen/  
So hastu deinen Sinn nur auff den Fleiß gericht.  
Fahr fort / geliebter Freund / du wirst noch einst erleben/  
Daß man der Tugend wird den besten Vorzug geben.

Dieses wenige hat zu Bezeugung seiner Pflicht gegen den Herrn  
Respondenten, nebst Anwünschung eines ferneren glück-  
lichen Successes in seinen Studiis aufsetzen wollen!

Christian Henrich Rohde/  
Advoc. & Notar.

**Q**uis furor est, primâ reliquis præcurrere sede?  
Quisve, alium titulis & superare loco?  
Fecit nos natura pares, conjunxit origo,  
Unaque post mortem corpora junget humus,  
Dives inopsque fiet, Rex Jupiter omnibus idem:  
Nec titulo pauper deteriore venit.  
Stulte, quid argento cumulas malefanus honores,  
Quæis super abjecti fata vehare gregis?  
Sic equidem dominum dives præcedit asellus,  
Æris quem fulvi pondera multa premunt.  
Sic quoque si famâ multum tollare coëmta,  
Tu Midæ es titulos frater & inter opes?  
Non auro veniunt hominum discrimina: nec te  
Ullo promoveat maxima gaza gradu.  
Scilicet una potest homines distingvere virtus,  
Nobilisque suis conciliare decus.  
Ipsa sibi super altra viam, super ardua pandit  
Indigena, atque ipsis vult comes ire Diis  
Hanc Tu dum pulchro sectaris, AMICE, labore,  
Ante alios primâ laude ferendus eris.

Politissimo Respondenti, Amico multis nominibus  
dilecto applaudens ser.

JOHANNES HORN, Gedanens.

☞( )☞( )☞



Königsberg, Diss., 1774/19

ULB Halle 3  
001 856 294



*St*











17267

DISSERTATIONEM MORALEM  
DE

1777,6  
18

# PROEDRIA,

QUAM GERMANI COMMUNISSIME

## Wen Rang/

APPELLANT,

DIVINA FAVENTE GRATIA  
IN INCLUTA AD PREGELAM ACADEMIA  
PRÆSIDE

### M. IOANNE IACOBO ROHDE,

REG. ALUMN. ET COMM. CONVICT. INSP. SEC.

PUBLICÆ TUEBITUR

AUTOR

### IOANNES MONETA,

ROSENB. PRUSS. PHIL. STUD.

HORIS LOCOQUE SOLITIS

A. R. S. M. DCCXVII. DIE XVI. JUNII.

REGIO MONTI, LITERIS REUSNERIANIS.

375

